

G. S. E. A. F.
 DISSERTATIONEM
 DE
**F I G U R A
 M U N D I,**

*Consensu Ampliss. Facult. Philos. In Reg. Ad Auram
 Academia,*

Sub MODERAMINE
VIRI MAXIME REVERENDI atque CELEBERRIMI
**D:NI J A C O B I
 GADOLIN,**

S. S. Theol. DOCT. & Scient. Nat. PROFESS. Reg.
 & Ord. nec non Acad. Reg. Scient. Sv. MEMBRI,
 AD GRADUM MAGISTERII IN PHILO-
 SOPHIA ASSEQUENDUM

Publico examini submittit

J A C O B U S U T T E R,
S A T A C U N D E N S I S ,

In Auditorio Majori die V. Julii, A:i MDCCLX.
 H. A. M. S.

ABOÆ, Impressit DIRECT. & TYPOGR. Reg. Magn. Duc.
 Finland. JACOB MERCKELL.



§. I.

AB instituti ratione alienum non esse existimamus, ut, de *Figura Mundi* disputaturi, *Mundi* vocabulum, quod non uno tantum sensu accipi solet, ad fixum mox reducamus significatum. *Mundus* itaque nobis est, non globus tantum terraqueus, nec cœlum duntaxat, sed univerorum corporum creatorum congeries atque complexus. Sunt autem corpora, quæ in hujus universi expanso reperiuntur, non perturbate posita, tanquam quæ a turbine projecta sunt, neque sordida & immunda, veluti quæ in luto hærent, sed ornata mundissimo quasi vestita, ordineque elegantissimo collocata; adeo ut eorum sistema, *Mundi* nomine emphatice plane insigniatur. Hinc bene, quid, oro te, ornatum atque ordinatum videri potest, quod non ab mundi exemplo imitata sit ratio? unde κόσμος graece nomen accepit, inquit *Apulejus de Mund.* Dicunt autem Pythagoram nominis auctorem esse, primoque cœlum sic appellasse, quia perfectum illud omnibusque animantium signis & nullo non pulcritudinis genere exornatum. *Figura* quid sit, neminem facile fugit. Est scilicet limes extensis; adeo ut ultra hunc nulla detur pars, quæ ad idem extensem pertinet. Ut itaque perimeter trianguli est limes superficie triangularis; peripheria circuli limes superficie circularis;

Jaris; superficies sphærica limes corporis in sphæram contorti, &c. ita limes congeriei corporum omnium creatorum *Figuram Mundi* constituit. Sed, heus tu! inquis; quorsum vadis, qui sphæram omnium rerum sensibilium egressus, de finibus mundi certamen instituis? forte magis temerario ausu, quam Principes vanæ gloriae cupidi, qui cum summa civium pernicie de dilatandis imperii terminis bella gerunt. Quæ enim, quofo, ad Terricolas circa centrum hærentes ab ultimis mundi limitibus utilitas redundabit? Fatemur e- quidem rem esse difficilem, quam adgredimur, verum non tamen tales, a qua investiganda absterrerit debuimus, præ fertim cum non modo licet, sed & injunctum sit mortali bus, ut in mundo ejusque variis affectionibus, ceu speculo, Dei sapientissimi incomparabiles perfectiones perlustrent. Præterea etiamsi nec potuerimus ad amissin delineare Figuram Mundi, neque tamen nobis nocebit tentasse, quid valamus; immo si errorem insuper hac in re commiserimus, ne quidem exinde multum incommodi metuimus. Quamob rem certo certius speramus fore, ut Candidus Lector co natum innocuum, in meliorem, pro more solito, interprete tur partem, &, quatenus desiderio suo satisfactum non in venerit, benignitate sua defectum nostrum suppleat.

§. II.

Duo nobis de figura mundi acturis præcipue sunt disquairenda: scilicet esse aliquam mundi figuram; deinde, qualis illa sit. Prius quod attinet, ex Fi gurae definitione in §. I. data, eam competere mundo mox quidem patet, si modo demonstratum sit mundum esse *li mitatum vel finitum*. Quod attinet ad veteres Philosophos, in duas hi abeunt hic classes: Alteri nimis. hunc mundum esse infinitum, alteri finitum putabant. Qui igitur mundum infinitum esse volunt, ii quoque limites mundi ipsamque ejus figuram e medio tollunt. Hunc in censem venit *an-*

ximander, qui infinitum hoc unum esse, non numero sed magnitudine, statuerat, & partes quidem ejus mutari, totum vero immutabile esse, ex eo omnia generari, & in id desinere omnia. Hujus Discipulus *Anaximenes* hoc infinitum ærem dixit; atque hinc colligunt, neque *Anaximandrum* per illud suum infinitum aliud quid intellexisse, quam vel ærem, vel aquam, vel aliud quid ejusmodi. Soliti præterea sunt antiquorum nonnulli distingvere inter *Universum* & *Mundum*; hinc *Leucippus* universum quidem infinitum posuit, verum hujus tamen partem plenam, partem inanem esse; nec non *Demoeritus*, præter atomos & inane, nihil reale verumque dari, atque dum in infinito mundos infinitos esse voluit, cuncta nihilominus figura, situ, ordine & dispositione corpusculorum constare. Si itaque sensus horum est, in spatio inani infinito, quod sibi imaginabantur, dari infinitos numero mundus, id quidem non impedit, quo minus potuerint credere quemlibet mundum corporeum simul esse figura quadam circumscriptum; & quod de pluralitate mundorum sic asseruerant, vix aliud videtur importare, quam dari plures orbis habitabiles; quale quidem thema nostro quoque avo haud absque ratione probatur. Ex recentioribus obvenit *Jordanus Brunus*, cuius Philosophemata atra nocte obscuriora esse nonnulli queruntur, mundum, cum sit infinitum universum, Figura carere affirmans. Ratio assertionis hæc erat, quod cum Deus sit essentia simplicissima, ergo in eo idem est esse ac posse; itaque, quia Deus potest facere mundum infinitum, etiam fecit. Pariter quoque *Cartesius* rotundis verbis affirmat, hunc mundum sive substantię corporeæ universitatem, nullos extensionis sue fines habere, hac imprimis ratione suffultus, quod, ubicunque fines illos esse fingat, semper ultra illos aliqua spatia extensa, ac proinde etiam substantiam corpoream extensam esse perciperet; etenim ponit naturam corporis confistere in

sola extensione in longum, latum & profundum. Ex diversa caussa idem existimabat illustris *Leibnitus*, perfectioni nimirum Divinae repugnare, mundum materialem extensione ulla tenus limitatum statui; quia, quo plus est materia in mundo, eo ampliori gaudebit Deus occasione exercendi sapientiam & potentiam suam. Pro adversa sententia instar omnium nobis erit, qui omnium Philosophorum doctissimus habitus est, summus *Aristoteles*. Hic, in L. de *Cælo*, magno conatu id agit, ut demonstret universitatis corpus, seu mundum hunc materialem, non esse infinitum. Quid jam nobis videatur de re inter tantos viros controversa, paucis indicabimus. Existimamus autem & mundum finitum esse, & hanc finitudinem vel sic sufficienter demonstrari, si videlicet ponatur totus mundus, de corporeo sola loquimur, quantuscunque is demum sit, finitus vel infinitus, in aequales partes ex. gr. cubicas datae magnitudinis, esse divisus. Vel nobis non monentibus, quisque videt hec non respici potentiam humanam, quasi haec tanto operi sufficeret, sed solam possibilitatem rei, quatenus quidem negari non potest corpora omnia esse divisibilia; neque præterea supponi divisionem actu exercitam, sed mente tantum conceptam, qualem quidem divisionem ponere nobis licet, siquidem omnino patet, eandem & concipere &, sicubi placuerit, efficere posse, qui totum universum verbo suo condere valuit. Hoc itaque posito, si assumas mundum esse in infinitum extensem, seu nullos plane habere extensionis suæ limites, nullamque circumscriptam figuram; consequens est, numerum partium, in quas divisus ponitur, itidem fore infinitum. Ergo, siquidem re ipsa existit hic mundus, simulque existunt omnes ejus partes simul sumtæ; sequitur hinc, existere quoque numerum infinitum. Quam vero hoc sit absurdum, & cuilibet facile patescit, & evidenter ostensum est in Ontolog. Illustr. *Wolfi* §. 797. p. m. 597; Un-

de tandem sequitur, absurdam esse, quæ assumebatur, hypothesis, scil. esse mundum infinite extensum. Ergo finita extensione gaudet, atque figura quadam terminatur. Hinc jam patet, quid de argumento *Bruni* supra allato tenendum sit, male scilicet eum pro objecto potentiae divinae habere rem, quæ per se est impossibilis. Quod vero attinet ad sententiam *Leibnitii*, videtur hic fervore disputandi adversus existentiam spatii vacui, deficientibus argumentis physicis genuinis, eo fuisse redactus, ut caussam Dei suæ hypothesei prætexeret. Certe, cum vel in minima quavis portione materiæ dari mundum creaturarum viventium animamque &c. deprehendere sibi viuis esset auctor; adeoque in confessu sit, in minimis perinde ac in maximis infinitam Dei sapientiam & potentiam elucidere: frustra potius id videtur requiri, ut materia sit in infinitum extensa. Nos igitur majori jure adhæremus alteri axiomati *Leibnitiano*: perfectiones divinas limitationem omnem respuere; Creaturas e contra non posse non esse limitatas.

§. III.

EX dictis itaque luculenter satis constat aliquam esse mundi figuram. Jam, qualis illa sit, dispiciamus. Veteres mirum in modum varias concinnarunt de mundi ortu & figura fabulas, omni quandoque ratione destitutas. Harum nonnullas juvabit verbo commemorasse, non tam temporis fallendi gratia, quam potius, ut appareat, quantum interstet inter Philosophos miracula quasi somniantes, atque illos, qui lumine revelationis collustrati veram mundi originem didicerunt, atque sobriam magis philosophiam seellantur. Itaque de *Anaximandro* narrant, statuisse eum ex infinito coelestes orbes & infinitos mundos productos esse; terram esse cylindriformem, cuius altitudo contineat tertiam partem latitudinis; homines primo in piscium ventribus generatos

nitos ibique nutritos fuisse, dein vires acquisivisse maiores, factosque idoneos, qui alimenta ipsimet sibi colligere possent, atque sic tandem exclusos fuisse & terra potitos; ceterum conflatam fuisse sphæram igneam, quæ, velut cortex arborem, intra se involvebat & globum terræ, & ejusdem atmosphærā; hanc vero sphæram dein ruptam fuisse, atque ex partibus disruptis solem ac stellas extitisse. Verum monuimus s. præc. cum hypothesi mundi infiniti non posse consistere aliquam mundi figuram; hinc itaque sequitur, præster figuras corporum partialium, de figura totius ab auctore hoc nihil potuisse statui. Eam esse sphæricam pro certo venditare non dubitarunt multi. Quemadmodum non unius sed plurium gentium antiquissima traditio est mundum esse filium Dei; ita Ægyptii quoque eum ex connubio Isidis & Osridis genitum fingeant. Placuit nempe eis, ut refert *Diodorus Sic.* cœlum & terram primo fuisse sibi permixta; postea vero discessisse a se ista corpora, quæ præsentem mundum constituunt. Nimirum igneam materiam ob summam levitatem ad sublimia loca evectam; ob eandem causam solem & ceteram siderum multitudinem in perpetua vertigine mansisse; cœnosam vero turbidamque massam vi gravitatis infimum locum tenuisse. Cum itaque hæc volvatur continuo, secretam exinde fuisse aquam marinam, e solidiori materia terræ separatam. Terram primo fuisse lutoſam & mollem; ast, accedente calore solari, fermentatam fuisse faciem terræ, in pluribus locis intumuisse, humidosque tumores tenuibus peliculis circumdatos: Ex hisce tumoribus, qui noctu ex circumfusa nebula alimentum bauriebant, interdiu ab æstu solis consolidabantur, perustis ruptisque membranarum involucris, enatas prodierunt animantium formas. Horum, quæ plurimum caloris fortiebantur, ad superiora loca abiisse & volucria facta esse; quæ plurimum humidi adipiscabantur, in locis cognatis natatilia fa-

ta esse. Postremo vero, cum terra magis induruisset, non
fuisse eandem amplius aptam animalibus ista ratione pro-
ducendis; ideoque cœpisse eadem ex mutuo coitu gigni.
Genitum hunc mundum ad similitudinem sphæræ rotundum
evasisse.

§. IV.

LEnem atque politam, immo sphæricam *Platonis* quoque
placuisse mundi figuram constat ex *Timao*. Argumentum
tum ejus his continetur: Mundus est animal intelli-
gens, divina providentia factus & quidem unigenitus, quia
decrevit Deus facere rem præstantissimam; Ast quod intelli-
gentia pollet, præstat insipienti, & intelligentia sine animo
esse non potest. Ergo intelligentiam in animo, animum in
corpore universi conclusit. Præterea est mundus sphæricus,
cujus omnis extremitas paribus e medio radiis attingitur;
quia hæc figura est perfectissima sibiique simillima. Dei e-
nīm judicio præstabat similitudo dissimilitudini. Nec oculis
egebatur mundus, quia nihil extra mundum relictum erat,
quod cerni posset; nec auribus, quia ne quod audiretur
quidem, neque instrumentis opus erat, per quæ alimenta su-
sciperet aut decocti cibi excrementa emitteret; ergo nec ma-
nus, nec pedes, nec alia membra, nec ulla protuberantia
habet.

§. V.

Mundum similiter esse rotundum, & quidem tam exa-
ete, ut nihil eorum, quæ manu conficiuntur, nec aliud
quicquam eorum, quæ apud nos oculis cernuntur,
sit tam accurate rotundum, asserit *Aristoteles* in Libro de
Cælo, sicutque fere probat: In unoquoque genere, quod u-
num est, naturā prius est multis, & quod simplex est, na-
turā prius est composito. Ast figurarum planarum aliæ plu-
ribus

ribus lineis, ut triangulum vel quadratum, aliæ una solum linea, ut circulus, continentur. Ergo circulus natura prior est ceteris figuris planis; & ex simili ratione quoque sphæra solidarum figurarum prima erit, quia non nisi unam superficiem habet. Eviēto sic sphæram esse primo loco habendam, ulterius probat ultimam mundi partem sphæricam esse; quia nimirum figura prima primo convenit corpori, illud vero corpus primum est habendum, quod in ultima est circumlatione seu conversione; atque hinc concludit ultimum cœlum, quod ambitu suo totum universum complectitur, atque continuo motu circumfertur, sphæricum esse. Idem quoque aliter in hunc fere modum probare conatur, scilicet rerum natura sic abhorret a vacuo, ut ne quidem extra corpus universitatis sit quis locus vacuus. Si itaque corpus isthac haberet supersiciem scabram aut angularem; dum convertitur, necesse est, ut a parte extima, ubi prius erat corpus, nunc non sit, & ubi nunc non est, ob angulorum transitionem, mox iterum erit; quod cum repugnet principio vacui assumto, sequitur æqualem & politam, qualis est sphæra, fore extimam mundi partem. Præterea, omis-
sis reliquis, argumentum ex consideratione rerum physica-
rum petitum, quod reliquis præferendum videtur, adponere juvat. Nimirum, demonstrat primo aquam, quæ circa ter-
ram est, rotundam esse; Cum enim in superficie maris con-
cavum id est, quod centro propinquius est, aqua
vero natura sua ad magis concavum locum confluit;
hinc observat aquam non stagnare, sed fluere, donec
fuerit in æqualitatem redacta, & quidem sic,
ut ejus superficies tangat rectas æquales e centro ductas,
h. e. sit instar sphæra. Potro, quia est, ex hypothesi au-
ctoris, cœli motus continuus & uniformis; itemque, quia
aqua tangit aër, hunc ignis cingit, ignem vero supera
corpora & ipsum tandem cœlum: Hinc concludit cœlum

similiter ac aquam rotundum esse, quia, quæ rotundum tangent atque cum eo circumferuntur, rotunda esse cuncta necesse est.

§. VI.

Paginæ Stoicorum tradunt mundum, forma *globi*, vel *turbanis*, vel *ovi*, cuius centrum terra occupat, circumdari a vacuo. Istud vacuum nonnulli eorum infinitum pronunciarunt; alii non majus posuerunt, quam ut mundo resolvendo sufficeret. Statuebant nimirum ex uno fieri omnia, & redire in unum revolutione perpetua & æquali, quo circa igni divino præcipuas partes tribuebant tam in creatione mundi producendi, quam in conflagratione produxerit; ita tamen, ut non in momento, sed successively, per modum generationis, hæc evenirent; sic v. gr. ignem istum in summo æthere constituisse, unde stellarum fixarum orbis primum prodierit, deinde orbes planetarum, post atmosphera terræ, hinc aqua & tandem subsidens terra. Præterea docebant mundum esse animal sensus & rationis compos, atque natura prædictum animata, cuius particula quædam avulsa sit anima humana. Haud absimilatio Pythagoras quoque fertur posuisse mundum animatum, intelligentem & sphæricum. Itaque cum animalia viva opus habeant spatio quodam circum se libero, quo spiritum ducant; hinc vacuum istud extramundanum ipsius mundi respirationi conducere dixerat Auctor sectæ Italicæ. Ast ex discipulis tamen Empedocles materiâ inertî repletum voluit totum istud vacuum, a metu suffocandi mundi, nescio qua ratione sese liberans; atque proinde neque de figura mundi ponenda sollicitus.

§. VII.

PAtet itaque vel hinc figuram sphæricam adeo præquisiblibet reliquis figuris placuisse universo orbi eruditio, ut vix ullum invenias, qui mundo diversam trahuerit.

buerit. Quid? quod plissimus Job. Arndt in Lib. de Christianismo c. 2. & 3. non hæsit in eadem hypothesi adoptanda. Adfirmat vero hic cœlum ideo firmamentum dici, quia omnia capiat & concludat elementa, neque permittat, ut loco suo cedant aut ab invicem dissipentur, quemadmodum fluida ovorum albumina & vitella firmiori putamine continentur. Capacissimam vero rotunditatis formam cœlo datam esse, non ideo solum ut omnibus elementis capiendis sufficiat, verum etiam ut æqualiter undique influat in corpora, quæ ambitu suo complectitur, seu ut operationes cœli & astrorum a circumferentia sphæræ ad centrum ab omni parte æqualiter distribuantur.

§. VIII.

VAriorum placitis sic breviter adumbratis, instar colophonis addenda est sententia Theologi pariter ac Philosophi Celeberr. Sam. Werenfelsii, ex Ejusd. Opus. Theol. Philos. & Pbilol. Edit. Att. Tom. II. p. 151. & 152. Profitetur hic se sibi proposuisse, ut nova & a nemine adhuc calcata via incederet in questione hac discutenda. Quis itaque heic expectabit quidquam, quod antea fæpius sit dictum? Summa argumenti hæc est: Ubi datur longum, latum, profundum, ibi est corpus; sic enim natura abhorret a vacuo, ut spatium corpore carere nequeat. Pone itaque jam figuram mundi esse scabram, qualis est hujus telluris, ubi hic montes eminent, ibi valles subsidunt, illic planities porriguntur. Itaque cum extra mundum non detur aliquid corpus, vacuum erit spatum, quod extramundanis istis vallibus, cavernis & hiaticibus continetur; verum hoc repugnat principio: *non dari spatum vacuum*, ergo superficies mundi non est inæqualis aut aspera, sed plana & polita, non hiulta sed unita, non scabra sed dedolata. Quo autem in meridiana quasi luce ponat Auctor no-

vum hoc argumentum suum, objectionem quandam, quam sibi forte opponi suspicatur, r-solutam tradit, scil. Cum tellus, quam incolimus, sic substantia, non indigens ad suam existentiam aliâ substantia, pura orbium cœlestium aut ipsius atmosphæræ nostræ; non repugnabit fingi, omnia corpora præter tellurem in nihilum redigi. Hinc itaque occidere quis poterit, totum residuum mundum, qui telloris ambitu jam continetur, sic habere figuram scabram, quia inæquales telluris protuberantiae perinde jam existerent, ac si reliqua corpora non fuissent annihilata. Ad hæc respondet auctor, extensionem telluris esse ejusdem substantiam; adeoque aut concedendum esse, quod in vallis hiaticibusque tantum æris alteriusve materiae relictum sit, quantum ad ista spatia implenda sufficiat; aut dicendum, quod reliquis corporibus ambientibus in nihilum redactis, telluris superficies, omni scabritie resecta, levigetur. Igitur non dubitat auctor pro certo venditare, talem esse mundi figuram, ut a quocunque punto extremae superficie in aliud quodcumque ejusdem punctum linea recta ducatur, linea illa aut superficiem radat, aut per mundum transeat, nunquam vero aut tota, aut qua partem extra mundum cedat; Utrum vero figura mundi sit vel sphærica, vel cubica, vel cylindrica &c., eadem certitudine non definit. Probabiliter tamen ratione sphæricum esse mundum, hunc in modum probat: DEUS, qui summa sapientia est, nihil supervacaneum agere potest: Uti autem imperitiae est in artifice pluribus uti instrumentis ad faciendum id, quod paucioribus æque commode fieri potest, aut majori includere theca, quod minore capi potest; ita credibile non est, Deum, qui minore superficie tam vasta tamque multa in hoc mundo corpora complecti potuit, majori citra necessitatem usum fuisse. Superficiem autem minimam, qua datum quodvis volumen comprehenditur, sphæra habet. Hanc sententiam non esse novam, sed ab A-

rīstotele jam, uti supra indicavimus, propositam monemus. Præterea falsis fundamentis argumentum quoque Auctoris superstrui patet, quia neque extensio absolvit essentiam corporis, neque natura, uti posuerunt Peripatetici, absoluta quadam vi a vacuo abhorret, prouti ex philosophia recentiori satis constat.

§. IX.

De rebus variis; præsertim incertis, varia variorum esse judicia solent, & quidem juxta proverbium: *quot capita tot sensus.* Mirum itaque videbitur, tantam esse concordiam & quasi conspirationem & antiquorum & recentiorum & profanâ & sacratori doctrina imbutorum ad mundum lævigandum ac tornandum, ejusque spharicitatem defendendam. Immo eo magis convenit mirari hunc consensum, quo evidentius patet, vel levi adhibita attentione, instar sumi vento dissipati, evanescere omne robur, quod pro adstruenda hypothesi allatum fuerit, adeo ut verbo teguisse rationem quamcumque adductam, sit eandem sufficienter refutasse. Quod unice attentionem meretur, est illud Aristotelis argumentum a circumrotatione sphararum sese contingentium repetitum. Si enim esset verum, uti supponit, inde ab ultimo mundi termino, per orbes contiguos, conversionem versus hæc inferiora propagari, atque tellurem, in qua superficies maris rotunda ac lævigata est, centrum eorundem occupare: non certe improbabili conjectura exinde colligeretur, ultimi quoque orbis superficiem extimam perinde rotundam esse. Verum in hac rerum luce quis vel istam suppositionem jam amplectatur? Quod præterea attinet ad præcellentiam figurarum, quæ in abstracto considerantur, quatenus videlicet quadratum censetur esse dignius, quam aliæ figuræ quadrilateræ, circu'us dignior quam triangulum atque sphæra dignior quam reliqua corpora, cujus quidem

dignitatis ea sit ratio, ut Conditor universi non potuerit non eandem respicere; nostro qualicunque judicio omnis ista figurarum unius præ altera prærogativa pro chimara plus quam puerili habenda est. Cur vero unanimiter sic recepta sit figura sphæræ, id ex eo forte provenit, quod cœlum ad spicientibus instar fornici hemisphærici appareat; qui fornix superior cum inferiori subiecto formam sphæræ concavæ componere videtur; cum namque sidera remotissima, tanquam clavi fornici infixi, huic cavo insidentia atque a spectatore æqualiter undique remota videantur, facile id fieri, ut vel ob hanc sensuum fallaciam incogitantibus sphærica figura præ ceteris arrideat.

§. X.

Pro ratione instituti de aliorum placitis satis jam dicum. Äquum proinde est, ut nostram quoque opinionem aliis dijudicandam proferamus. Quod vero præsens occasio temporisque angustia postulat, quodque curta supellex simul svadet, id nobis licitum futurum speramus, scilicet ut, quæ prolixiorem explicationem merentur, compendiose indigitemus. Itaque non verebimur mox indicare, quod hypothesis recentiorum Physicorum adoptemus, statuentium dari spatia vacua in hoc mundo sat multa, eaque non solum inter corporum particulas minimas ubique disseminata, verum etiam in magnis corporum mundi totalium intervallis coacervata. Hoc autem concesso, si cogitemus qualis sit superficies, qua terminatur omne extensum corporeum; quis non statim videt non continuam, ne dum regularem figuram mundi dari, sed potius discontinuam & quasi laceratam? Concipiamus præterea corpora mundi tam partialia quam totalia non quiescere sed vario motu agitari; & deprehendemus variabilem atque Proteo mutabiliorem esse mundi figuram. Addamus insuper, quemadmodum placet

placet *Astrophilis*, corporum totalium superiorum orbitas ambitu suo non semper continere corpora, quæ inferius ad centrum systematis descendunt, sed dari corpora errantia, quæ vario motu aliorum orbitas trajiciunt, atque modo centro proxima sunt, modo ultra remotissimorum orbes longissime excurrent; immo, ne quid desit, fingamus tandem stellas fixas singulas, ceu totidem soles, suis systematibus planetariis circum totum universum, quaqua patet, superbum, atque cometis modo in altum provectis, modo profunde demersis turgere; & fatebimur, necesse est, non simplissimam sed potius intricatissimam atque omnis phantasiam excedentem esse habitudinem figura mundanæ.

T A N T U M.



Clarissime Dñe CANDIDATE.

Leet nihil discriminis, qua partes essentiales, inter se haec
beant mortales, qua tamen accidentales maxime a se invia-
cem differunt. Quo diligentissimi quis illas perficit cum o-
peraque, eo eximius in his ex ellit. Hinc unius pre altero pre-
stantia, hinc celebris excellentia. TU, Clarissime Dñe Candida-
te, operam studii literarum impendisti plus quam meiocrem; a-
liam enim ignoror causam, cur ea eruditiois perfectione clares,
de qua vel presens hac TUA dissertatio pulcherrima rotunde
loquitur. Oculis hic ingenioque acutissimis figuram vastissime
totius universi compagis, et si rem quam longissime a nobis remo-
tam ad gressi audes, eamque solide & erudite desint. Gratior
itaque TIBI felices animi doles, egregios in scientiis progressus
honoresque ideo mox capessendos debitos. Quavis Fausa TIBI
adprecatus permanebo TIBI,

Clarissime Domine CANDIDATE,

addictissimus

ERICUS LYBECKER.

Clarissimo Domino AUCTORI,

Informatori Optimo.

Jam tandem suborta est lux vebementius a me desiderata, qua
mentis mee erga TE, Praeceptor Dignissime, pietatem pu-
blice contestandi locum mibi praebes, quis propter laius TI-
BI grates ago maximas. Hocce desiderium penes me accenaunt
TUA per ampla naturae dona, TUAque eruatio exquisita;
maxime vero pietas illa, qua TE TUAMque propensionem
plane paternam ad felicitatem meam indies promovendam inde-
nenter prosequor. Age, Informator Optime, & suscipe pre-
mia, quae TIBI, cum Laurea, quam mox dignus gestabis, co-
litus exhibenda gratulor. Omnipotens de cetero felicia TIBI a-
similiter optat TUUS ex ase

GUSTAVUS ALFTAN.